16.
79091
8

CATALEPSIS
à GALENO
Libr. 1. Prorrhet. Sect. 2. Comment. 56.
Deſcripta,
DUCE DEO,
Juſſu & Authoritate Ampliſſimi Collegii Medici quod TUBINGAE eſt,
Loco Diſputationis Inauguralis,
PRAESIDE
JOHANN-CUNRADO BROTBECKIO,
PHIL. ET MED. DOCTORE, EJUSDEMQ., UT ET PHYSICES PROFESSORE ORDINARIO,
t. t. DECANO.
Pro Summis in MEDICA Facultate Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,
Sub
Medicæ Diſquiſitionis incudem revocata,
Publico Examini & Cenſuræ ſubmiſſa
à
M. DAVID KOEBERER, Halâ-Suevo.
IN AULA NOVA,
Ad Diem XXII. Decembr.
Horis conſuetis.

TUBINGÆ,
TYPIS THEODORICI WERLINI,
ANNO M.DC.LX.

THE ALLAN LIBRARY

VIRIS
MAGNIFICIS,
NOBILIBUS, AMPLISSIMIS,
PRUDENTISSIMIS,
D. D.
COSS. & SENATORIB.
INCLYTÆ AC LIBERÆ IMPERIALIS
REIPUBLICÆ
SUEVO-HALENSIS
CONSULTISSIMIS
PATRIBUS PATRIÆ VIGILANTISSIMIS
DOMINIS, ATQVE PATRONIS SVIS
DEVOTE COLENDIS,
INAUGURALEM HANC DISPUTATIONEM
IN
CULTUS OFFICIOSISS.
ET
SUBMISSAE OBSERVANT.
TESTIMONIUM
DEDICAVIT CONSECRAVIT
AUCTOR.

79091
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

§ I. §

PROLOGUS.

PLenos in Meduſam defigere obtutus cui cui olim contigit, miranda metamorphoſi in lapidem converſus obriguit, unde *Ovidius:* *Saxifica videas infelix ora Meduſæ.* Scilic. tàm inſolitæ formoſitatis radiis perculſi ſtetêre attoniti, fixi & immobiles,

Non ſecus atque rigent gelido qui fulmine tacti.

Quaſi quicquid ornamenti per univerſum gratioſæ Veneris chorum diſperſum, id omne velut in unum congeſtum collatumq; fuiſſet compendium. Attenta nimirum tantæ pulchritudinis contemplatio, ſenſus mentemque ſpectantis ab omni functione abſtrahebat, ut ſui penitus oblitus ſtupuerit, ac ſolet, quem novæ, raræ, excellentis, aut communem naturæ ordinem ſupergredientis rei cœpit admiratio. Formoſam Eruditionis ſpeciem à Meduſa adumbratam ſi dixeris, haud longè aberraveris; ita enim procos allicit, trahit, rapit, imò tacito quaſi fune ligatos quandoque detinet, ut juraveris, vidiſſe caput Meduſæ. Sc. quos nativa venuſtate laceſſivit, tantus ſtupor nonnunquam opprimit, ut immotos ſervet inopina cataſtrophe, quocunq; in ſtatu prehenderit vigilantes, ſtantes, ſedentes, edentes, bibentes, ſcribentes, legentes, velut ſidere afflatos. *Fern. de morb. part. l. 3. c. 2.* binas refert hiſtorias, quæ ita ſeſe habent. *Unus dum literis & chartis ſedulò invigilaret, repentè hoc vitio perculſus obriguit, ita quidem, ut ſedens, calamũq; digitis premens oculis in libros defixis putaretur in eadem ſtudia incumbere, donec vocatus ac impulſ9 deprehenſ9 eſt omni motu atq; ſenſu carere. Alterum mortui ritu iacentem inviſi, qui neq; cernebat, neq; audiebat, neq; compunctus ſentiebat quicquam, facilis tamen inerat reſpiratio, & quicquid in os conferebatur, promptè vorabat, è lectulo ſublatus ſolus inſiſtebat, impulſusque incedebat, & quocunque vel manus, vel brachium, vel crus inflectebatur, illîc quaſi fixum & ſtabile permanebat, expreſſam quandam dixiſſes larvam aut arte progredientem ſtatuam.* Similes caſus citante *Zacuto Luſitano*, leges apud *Schenkium, Marcellum Donatum, Rondeletium, Jacotium, Foreſtum, VVierum, Salium, Lonicerum*, aliosq;. Prim9 omnium verò talem deſcripſit caſum *Galen9 Commẽt. 56. libr. 1. Prorrhet. ſect. 2.* quem ſuccincto examine reſolvere ſimulq; naturam & curam morbi explicare placet.

HISTORIA GALENI

DE CATALEPSI

Ex nimio Studio ſuborta,

Deſcripta

Libr. 1. Prorrhet. S. 2. Comm. 56.

QVidam ex noſtris condiſcipulis cùm aſſiduo diſciplinarum ſtudio ſe fatigaret, malo hoc correptus eſt. Iacebat enim veluti lignum prorſus inflexus, rigidusq; atque extenſus, videbaturq; oculis apertis nos ita intueri, ut ne conniveret quidem, nihil tamen loquebatur; Is quoq; tempore eodem quæ loquebamur audiiſſe ſe dixit, quanquam non evidenter clarèq;, nonnulla idem & memoria tenens referebat, præſentesq; omnes ſe conſpexiſſe dixit, ita ut quorundam actiones recordatus exponeret, ſed neq; loqui potuiſſe, neq; ullum membrum movere.

I. IN hoc caſu (ut juxta Clariſſimorum Medicorum methodum procedamus,) *Galenus* morbum capitis deſcribit, qui ἀπὸ τοῦ κατέχεσθαι detineri, κάτοχος ἢ κατοχὴ dicitur. Catoche tamen ſęnius *Hippocrati* pro firmiter fixa affectione venit, ut videre eſt ex *Coac.* quod etiam *Galenus 1. Prorrhet. c. 2. text. 60.* ſic explicat. *Paulo verò lib. 3. c. 8.* & pro comate vigili & pro Catalepſi uſurpat. ἀπὸ τοῦ καταλαμβάνεσθαι verò, quod ſignificat prehendi, dicitur κατάληψις prehenſio, quod aliis eſt congelatio, quaſi corpus gelu rigidum immotum ſtet. *Platero* ſtupor cum rigiditate, qui *Scaligero* ſi vehementior fuerit atque diuturnior, ecſtaſis vel exceſſus dicitur. *Exerc. 312.* quamvis vox ecſtaſis ab *Hippocrate* vehementer mente emotis, phreneticis, ſcil. & maniacis tribuatur. Nos *cum plerisque Medicis Catochen & Catalepſin pro uno eodemque affectu* accipimus. *Vel* ſi mavis appellare *Catochen cùm affectus remiſſior, Catalepſin ſi intenſior,* non repugnabimus. Vt Catochen dicas, ſi ſénſus exerceant ſua munia, licèt quodammodò adſit immobilitas. Catalepſin ſi & ſenſus ceſſant, & immobilia rigeant membra. Ecſtaſin, ſi vehementior fuerit, validius incubuerit, diuturnius inſederit. Enthuſiaſmum, ſi à cauſa ſuperiore, cùm mens averſa quaſi, phantaſmata altiora ſpeculatur, quos Ariſtoteles νυμφολήπτους, θεολήπτους & ἐνθουσιαζομένους appellat.

Eſt autem *Catalepſis repentina partium corporis immobilitas* 2 *& inſenſibilitas, cum abolitione, vel quandoq́ sola imminutione operationum principum, dependens à ſpirituum animalium prehenſione & fixatione.* Sic recentiores plerique, duce quidem *Sennerto,* qui *Mediz. pract. libr. 1. part. 3. cap. 30.* ita ſcribit: *Qui catalepſi corripiuntur, rigidi in eo ſtatu manent, in quo prehenſi fuerint, apertis ac immotis oculis ſtatuæ alicuiusinſtar, & nec ſentiunt, nec vident, nec audiunt, reſpiratione ſaltem & pulſu ſalvo manente, à congelatione & immobilitate ſpirituum animalium, quam vapor quidam figens cauſavit, orta. Interdum tamen & ubi malum minus vehemens eſt, ægri nonnihil audiunt, vident, imaginantur, recordantur, & quæ adſtantes loquuntur, percipiunt & poſtea referunt, immoti tamen ſine voce & ſenſu tactus. Alii verò in eodem ſtatu manent mortuorum inſtar, & licet nil audiant, nec videant, neq́ puncti ſentiant, tamen ſi quid ori inferatur, id deglutiunt, & erecti conſiſtunt, impulſi incedunt, & membra prout illis inflectuntur, in eodem ſitu ſtatuarum inſtar fixa retinent*; ut paulò ante ex *Fernelio* dictum. Statuunt, ſc. unanimi conſenſu eſſe prehenſionem operationum principum, ſenſus item & motus, non quidem actu primo, ſed ſecundo, quatenus facultas præſens quidem eſt, impeditur tamen ut operari nequeat, ut ex *Horſtii problem. medic. dec. 2.* diſcurrit *D. Hœferus in ſuo Hercule Medico l. 1. c. 1.* diverſis tamen gradibus, ut *ex Jonſton. Ida Medic. pract. l. 8. cap. 3. art. 1.* quidam nec videant, nec audiant, alii audiant & videant, ſed nihil loquantur, alii impulſi ambulent; quatenus ſcilic. Catalepſis vel conſummata, ubi operationes abolentur, vel debilis ubi imminuuntur: qualem obſervare licuit in *Galeni* condiſcipulo, qui quædam audivit, quædam tenuit memoria, conſpexit etiam præſentes, recordatꝰ etiam quorundam actiones, cætera verò neque loqui potuit, neque ullum movere membrum, decumbens inſtar ligni, extenſus & rigidus oculis ita apertis, ut ne quidem conniveret, quod *Vidus Vidius de curat. membr. l. 2. cap. 17.* dicit ſymptoma motus voluntarii cum tenſione & inflexione, affectis ſimul facultatibus principibus, ut contradiſtinguat Apoplexiæ, ubi quidem operationes principes quoq; ceſſant, verùm corpus univerſum laxatur, ægerq; quaſi fulmine tactꝰ in terram proſternitur, manentibus membris flexibilibus, ita ut erecta ſuo pondere iterum decidant. Sub-

3. *Subjectum* hîc ſtatuendum *cerebrum*, id quod ex operationibus ejuſdem partim abolitis, partim imminutis colligitur, non tamen ſecundùm membranoſam ſubſtantiam ſpinalis medullæ, vel extremè refrigeratam, ut voluêre veteres, vel violenter tenſam, quicquid etiam alii dicant, tantum enim frigus in corpore adhuc vivente non ſtatuendum, neq; ejusmodi tenſio ſine dolore poteſt fieri, imò non catalepſin, ſed convulſionis ſpeciem induceret; verùm *prout eſt pars ſimilaris ſpiritibus animalibus perfuſa*, ut egregiè cum *Sennerto ſtatuit. Guern. Rolfinck meth. med. partic. morb. l. 1. part. 1. cap. 8.* qui ſpiritus, ut actionum inſtrumentum proximum, ſi mobiles & ſubtiles, ſequuntur operationes, quod ſi verò ex mobilibus immobiles reddantur, ceſſare actiones ad indiſpoſitionem eorundem neceſſe eſt.

4. Quinam verò *in ſpecie* iſti ſpiritus ſint, ut ſubjectum proximum deprehendamus, & quænam immobilitatis iſtius cauſa ulteriori indagatione opus habet. *Communis eſt opinio*, inquit *Sennertus*, prædicto loco, *ſpiritus animales omnes & potiſſimùm eos, qui ſenſui & motui inſerviunt immobiles reddi, verùm ſi quid in re obſcura proferendum eſt, potius ſtatuendum videtur non illos ſpiritus, qui in membra corporis influxerunt congelari & immobiles fieri, ſed potius ſpiritus, qui imaginationi & menti inſerviunt. Cùm enim motus à phantaſia dirigatur, neque ſenſuum externorum objecta etiam ab organis ſuis recepta percipiantur, ſi ſenſus interni & mens non attendant, ſicut compertum eſt, viros quoſdam devotos meditationibus ſacris, quaſi ex ſe raptos, aut literarum ſtudioſos meditationibus ſuis ita intentos fuiſſe, ut etiam oculis & auribus apertis non viderent, non audirent, imò nec ſentirent. Si ſpiritus ille phantaſiæ & menti inſerviens quaſi figatur & immobilis reddatur, ut ſenſuum externorum objecta affluentia non apprehendat, fit, ut etſi influant, & in organis ſenſuum externorum ſpiritus animales adſint, qui ſenſuum externorum objecta percipiant, & ad phantaſiam deferant, ab ea tamen illa non percipiantur, neque etiam à phantaſia tùm quaſi torpida & quieſcente, motus ullus imperetur, & ſi quis ab externo impulſu fiat, ille non attendente, nec gubernante phantaſia accidat. Hæc autem ita ſe habere ac in organis ſenſus ac motus, ſpiritus animales non deeſſe, vel illud arguit, quòd quidam ex catalepticis ipſi quidem nullum membrum movent, verùm ſi ab alio id moveatur, movendi*

po-

potentia ſe exerit, & erecti conſiſtunt, impulſi incedunt, & quocunq; vel manus, vel brachium, vel crus inflectitur, illic quaſi fixum & ſtabile permanet, quod non fit ſine ſpirituum animalium ope. Sicut & hoc ſpiritus animales non deeſſe indicat, quod ægri oculos diductis palpebris apertos ſervant, quod non fieret, ſed potius conciderent palpebræ, ſi ſpiritus animales deeſſent, ſicuti in paralyſi accidit. Quæ ſententia veritati maximè conſentanea, ſi nimirum gradus catalepſeωs diſtinguamus ratione, motus, ſenſus & operationum principum ex inadvertentia facultatis ſuperioris ob ſpiritus in cerebro facultati proximos affectos, quatenus objecta per organa ſenſuum ſuſcepta à ſuperiore facultate non apprehenduntur. Vnde vel membrum prorſus inflecti nequit; vel quo fuerit inflexum, eum ſervat ſitum, fixum & permanens. Nec enim ſufficit ſpecies ſenſiles in ſenſoriis externis hauſtas animæ ſentienti judicandas deferri, verùm etiam à phantaſia illas accipi oportet, quod prehenſis ſpiritibus fieri nequit. Et hoc ipſum quoq; *Galenus* inſinuat in quibuſdam locis, dum morbum hunc imaginatricis reſolutionem dicit, ut *Sennerto* mentis ſtuporem.

Inducit verò iſtam immobilitatem *vapor figens*, qui velut ſulphur narcoticum ſpiritus imaginationi inſervientes ſuâ naturâ mercuriales, vel ut aperto utar termino, mobiles & ſubtiles prehendit & detinet, ſimili modo, quo plumbi vapores mercurium aliàs ratione mobilitatis ſuæ vix compeſcibilem ita figunt & congelant, ut malleabilis evadat, quod ſimile depromit *Lazarus Riverius prax, medic. l. 1. c. 4.* qualia quoq; præſenti theſi lumen aliquod affundentia ſunt. Fulmen, quo ſimili *Sennertus* utitur ex *Cardano*, qui de octo meſſoribus narrat, quod ſub quercu cœnantes eodem percuſſi ſub ſpecie ea deprehenſi fuerint, quales decubuerint, ut unus comedere, alter manum poculo admovere, alius bibere viſus fuerit. Vapores è cavernis terrę, præprimis in ejusdem motibus erumpentes, qui homines & bruta quandoque repentè rigida reddidere, ut refert prædictus *Riverius*. Ligamen magicum unde impotentia ad certam perſonam, de quo vide *Caſp. Calder. de Hæred. in ſuo Tribunali Magico*. Morſus Tarantulæ, qui teſte *Ulyſſe Aldrovando lib. 1. de inſect. pag. 245.* Primò ſtuporem tantum infert, ut exitialis futurus ſit, niſi mox Muſica fuerit ſubventum in auxilium, ubi

qui

qui ſermonis oculorumque ſenſus amiſerunt, quique nec ingredi, nec fari, nec aliquo ſenſu frui valuerant, mox è gravi ſomno velut exciti, oculos parumper attollunt, mox in pedes ſe erigunt, ac ſeſe paulatim recipientes ingrediuntur, & in geſtus & ſaltûs erumpunt. Torpedo piſcis ratione ſtuporis tact9. Magnes ad præſentiam adamantis, quod habet *D. Rattray de Sympath. & antipath. rerum*, quod tamen *Kircherus* negat, & plura alia.

6. *Julius Cæſar Scaliger* putat hanc animi à functionibus abſiſtentiam fieri *perculſis ſpiritibus & in intimos cordis ſinus receptis*, quod non ſine ratione negat *Sennertus*, futuram nimirum hac receptione poti9 Syncopen, quàm Catalepſin aut ecſtaſin. Cum quo & nos ſtatuimus prehendi videlicet ſpiritus non in corde, ſed cerebro, tanquam proprio facultatum affectarum organo & domicilio, cor verò affici per conſequens & conſenſum. Reliqua enucleabit diſcurſus. Quid ſtatuat, de fonte facultatum principum *Antonida* von der Linden in ſua *Phyſiologia Medica* notum ſatis, ſed paucos vidi ſubſcripſiſſe Medicos, niſi certa cum diſtinctione. Quemadmodum nimirum in Epilepſia vapor è cerebro excuſſus in nervos, motus iſtos inordinatos & horrendos efficit, ſic modo contrario in hoc affectu vapor ſpiritus in cerebro prehendit & detinet, ne operari, vel motum aliquem efficere poſſint.

7. Poteſt autem ejusmodi *vapor figens* elevari ex *humore melancholico, pituitoſo, bilioſoque ſanguine, imò etiam ex vermibus*, teſte *Guern. Rolfinck.* Sive generatio fiat in cerebro, ſive in toto, ſive in certis quibuſdam corporis partibus. Præprimis verò aptus ad talem diſpoſitionem recipiendam eſt humor melancholicus non ſola frigiditatis & ſiccitatis ratione, verùm beneficio peculiaris illius diatheſeos. Quæ enim natura melancholiæ ſit, ex tam innumera melancholicorum diverſitate patet, ſc. ratione diſpoſitionis ipſius ſubjecti, cujus reſpectu *Galeni* ſententia locum habet *Comment. in aphoriſm. 3. ſ. 2.* Videatur de humore melancholico *Caſp. Calder. de Hæred. in ſuis feralibus ad tumulum Antitheſei.*

8. *Ex cauſis nonnaturalibus* ita dictis, plures quidem ſuum conferre poſſunt, ut error victus, menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſio, vapor aëre attractus, curæ, vigiliæ; ad quæ accedunt lie-

lienis ægritudines, temperamentum melancholicum, ſenectus, &c. hîc verò in noſtro ſubjecto *à Galeno* aſſignatur fatigatio ex aſſiduo diſciplinarum ſtudio, quæ nocet, & ratione cerebri, & ratione viſcerum concoctionis. Cerebrum exiccat, ſpiritus diſſipat, fatigando debilitat, & ad recipiendos noxios humores promptum reddit; Et cùm natura à reliquis corporis membris quaſi averſa omne ſuum robur huc convertat, viresque, plus juſto, neglecta ſcil. debita remiſſione, uni ſoli intendat, neceſſe eſt reliqua viſcera præprimis coctionibus dicata labefactari, quorum imbecillior conſtitutio ex alimentis ſal, ſulphur, fœces, tartarum non ſegregat, chylum & chymum minus exactè elaborat, cumprimis quia unius coctionis vitium vix altera emendatur, hinc diſtribuitur ſanguis crudus, varii generis inquinamentis & ſeminiis contaminatus, cumulantur excrementitii humores, oriuntur oppilationes, putredines, & ſexcenta alia. Vt ſupervacaneum foret quærere ulterius, unde vaporum tàm virulentorum, ſulphureorum, narcoticorum aliorumque uber proventus. Inſpice exemplum vini, quis crederet in hoc limpido liquore, tàm heterogenea latere poſſe? Latet tamen & hic anguis in herba; præterquam enim quod ex eo & aqua vitæ, & alcohol, ſpiritus ſubtiliſſimꝰ fit, remanente phlegmatis copia inſigni, è fœcibus ejusdem poſt calcinationem non ſolùm elicitur ſal corroſivum, ſed & adeò abominabilem emittere ſolent fœtorem, ut qui eas urunt, urbi ſe approximare difficulter permittantur. Vide *Zacutum Luſitan. Nollium. Clar. D. D. Bardili Exerc. 7. p. 229.* Expediti verò tandem è ſuis vinculis ejusmodi vapores, bellum machinantur funeſtum, ruunt velut è carcere emiſſi, crudelique impetu regiam cerebri invadunt arcem, ſpiritus animales adoriuntur, figunt & velut captivos ita ligant, ut horrendum hoc exinde ſequatur ſymptoma, quod erat enucleandum.

Differre tamen *Catalepſin à Catalepſi* facit fomes, quatenus vel in cerebro vel alia corporis parte ſtabulatur, unde *vel idiopathica*, vel *ſympathetica*, quatenus ſc. vel vapor in ipſo cerebro fovetur, vel illud aliunde elevatus petit, qualem *Zacutus Luſitanus* hanc noſtram putat. Abundet tamen hîc quisque ſuo ſenſu, & ſalva ſit tanti Viri authoritas; ut nobis videtur, probabi- 9.

lius ſtatuitur fuiſſe affectum cerebri idiopathicum, quod ex ipſa historia facilè colligim9, unde etiam ejuſdem ſententiæ ſubſcribere adhuc dum tardamus, donec meliora fuerimus edocti.

10 De gradibus ſuperius dictum, prout & diacritica ſigna ab ipſa morbi idea ſuppeditantur, ut & idiopathica ratione ſubjecti & cauſarum. Sic ſcribit *Vidus Vidius* de *curatione membr. l. 2. c. 17. deprehenditur tàm facilè hoc ſymptoma in homine, qui tractatur, unico fermè oculorum intuitu, ut non egeat multis ſignis per quæ pateſiat*. Pulſus juxta modò dictum *Vidium* parvus, languidus, ſubdurus, frequens cum aliqua ſed levi inæqualitate, anhelitus quoque parvus, quia non poteſt fieri magna extenſio, creber, quia minor quàm ab uſu deſideretur, ſuſpiriis quandoque interceptus, quia mens occupata. Interdum tamen reſpiratio ferè illæſa manet. Actiones animales quoad motum abolitæ, quoad ſenſus & facultatem ſuperiorem nunc imminutæ, nunc omninò oppreſſæ. Patiuntur & ſua naturales, ſupprimitur alvus & urina, ob ſopitam expultricem & ſtimuli inſenſibilitatem.

11 *Licèt* verò affectio *per ſe lethalis non ſit*, quicquid etiam *Dodonæus* dicat, *eſt tamen* ratione ipſius paroxyſmi *periculi plena*. Niſi enim tempeſtivè auxilia ſuppeditentur, correpti eâdem moriuntur ſtupidi, affecta videlicet facultate animali & per conſequens vitali atque naturali. Præprimis quò graviora adfuerint ſymptomata, qualia ſunt anhelitus difficultas & interruptio, virium imbecillitas, vel ſi cum alio morbo gravi complicetur, vel eundem ſubſequatur; nam cùm per ſe malum grave ſit, ubi cum affectu ſuapte natura periculoſo conjungatur, quod nonnunquam oculorum diſtorſio prodit, interitus certitudinem ac celeritatem apertiſſimè teſtatur. Brevi enim naturam aut ſuffocari, quod plerunque fit, aut exolvi neceſſe eſt. *Terminatur* tamen quandoque in apoplexiam aut epilepſiam. Quandoque in florida ætate per criſin ſolvitur ſanguinis eruptione è naribus.

12 Ergò periculum in mora; Spirituum enim longior detentio mortem & funera ſpirat. Hinc auxilia nequaquam differenda, ſed ſecundùm *indicationes, tempore paroxyſmi* vapores figentes in cerebro diſcutiendi, revellendi, avertendi, ſpiritus prehenſi

henſi irritandi & excitandi, quibus & corroborantia cephalica ſimul diſcutientia poſſunt addi, ut à compedibus ſuis liberati, fratres in mutuum amplexum ruentes, mortem nempe & Catalepſin divellãt, & qua data porta cum omni ſatellitio expellant, vel præcipites agant. Quamvis enim ſi perfecta & conſummata Catalepſis, videatur prorſus incurabilis, ſoli tamen prognoſtico relinquenda non eſt, ſed admovenda manus, cumprimis ſi naturæ, ætati, vel tempori magis congruere videatur. *Nam* juxta *Hippocr. aph. 34. ſ. 2. minus aliquando periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & tempori magis congruit, quàm quibus ſecundùm horum nihil.* Et *ſect. 2. aphor. 27. quemadmodum ſi quid præter rationem levius fiat, fidere non oportet, ſic nec multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt; multa namque huiusmodi ſtabilia non ſunt, neq; multum durare, nec perſeverare conſueverunt.*

Extra paroxyſmum materia, è qua ejusmodi vapor congelans ſurgit evacuanda per os, alvũ, nares, inſenſilem tranſpirationem, &c. corrigenda intemperies partium generantiũ, mandantium, recipientium, viresque inſtaurandæ. Brevi, ſeminium conſumendum, auferendum, natura corroboranda. 13

Hîc ferè optarem, quod Celebr. *Crato de Epilepſia ad Zvvingerum: Vtinam ante vitæ noſtræ exitum veram dignotionem huius mali, & verum remedium aliquis oſtenderet.* Optarem nimirum, ſi votis agere liceret, ſpiritus ſive naturâ, ſive arte chymica eò ſubtilitatis reductos, ut perrumperent omnia clauſtra & obſtacula, ipſumque hoſtem ſumma activitatis vi adorirentur, atq; adeò ſpecifica proprietate debellarent, captivosque animales priſtinæ libertati reſtituerent, ſeparatos nimirum ſpiritus ab omni materia craſſa, ab omni vinculo & involucro, qui multa deductione in actum, vel ſuſcitatione à natura opus non haberent. Sed quid optamus? aggrediamur potius hoſtem his armis, quibus licet eſſe inſtructos. Et quidem ſi ætas vigeat, vires conſtent, ſanguis redundare videatur, prima acie in ſubſidium veniat ex fonte chirurgico generoſum *Venæſectionis* remedium, ut & fomes minuatur, & diſſipationis obſtaculum removeatur, ut natura onere hoc levata facilius ſeſe colligat. Nec timorem incutiat, quod remedium magnum. *Galenus* enim *5. meth. med.* 14

ait: *Minimè ſicut Medicorum nonnulli cenſent, à parvis incipiendum eſt auxiliis; nec ſicut illi ſentiendum, iſta ſc. prius eſſe tentanda, mox ſi nihil profecerint, aggredienda maiora; nam in morbis in quibus periculum non impendet, vera ea eſt opinio; at ubi moriendum ægro & immineat periculum, alieniſſimum eſt à ratione à minoribus inchoaſſe.* Oſtendit hoc remedium hiſtoria nobilis mulieris febre ſynocha laborantis, quæ 19. die catalepſi correpta eſt, ſed largo tandem fluente è naribus ſanguine liberata, quam conſignavit *Laz. Riverius pax. med. lib. 1. cap. 4.* Sit tamen miſſio moderata ratione ipſius plethoræ, ne forſan per largiorem detractionem aucto frigore affectꝰ magis exacerbetur, vel vapor vinculis ſuis expeditus, graviores noxas inferat, cumprimis ſi natura multum debilitata. Eſt etiam prudentiæ atque cautelæ Medicæ, cum proteſtatione & dubio prognoſtico nonnunquam phlebotomiam adminiſtrare, quaſi anceps remedium in morbo acuto, ne ſi æger ob morbi gravitatem cùm ſanguis fluit, moriatur, accuſetur cum venæſectione medicus. Fiat verò ratione cerebri, ſectio brachii, propinquioris ſc. membri, vel ſi adſit ſuppreſſio menſium vel hæmorrhoidum, vena malleolorum aut poplitum vel etiam ſedales aperiantur. Reliqua ſuppeditabit ſubjecti conditio, medicique judicium.

15 Ratione noſtri ſubjecti hoc ipſo medio vix opus eſſe videtur, non enim veriſimile apparet, ægri corpus fuiſſe plethoricum, ut ſuperius inſinuatum, ſed potius ad melancholiam accedens diſpoſitio, quæ per venæſectionem magis infrigidari poſſet, licèt ratione diverſionis ſtaret phlebotomia ſuccedat; ergò potius ex pharmaceutico fonte *Clyſter* acrior, ut natura ſimul irritetur, quæ in hoc affectu ſepulta quaſi jacet. Injiciatur autem tepidè & ſenſim, ne impetu flatus & vapores ſurſum compellat, ut notant, *Fernel. l. 3. meth. med. c. 3. Heurnius prax. med. l. 1. cap. de Clyſt.* Eiusmodi Enema ſequens parari poterit.

℞. *Herb. beton. ſalv. roriſm. rutæ calaminth. mont. ana.* m j. *ſummit. centaur. min. flor. lili. convall. chamom. roman. ana.* m. ß. *Sem. carv. fœnicul. ana.* ʒ iij. *Troch. alhand. in petia ligat.* ℈ j. *Coqu. in ſuff. qu. aqu. font. ad mediet. Colatur. recip.* ℥ x. *Benedict. laxat.* ℥ j. *Elect. diaphoen.* ℥ ß. *Mell. roſat. vel anthoſ.*

zhoſ. mercurial. colat. ana. ʒvj. *Ol. rutac. irin. caſtor. ana.* ℥ß. *Sal. commun.* ʒij. *mſc. fiat Clyſter. infundatur ut dictum tepide & ſenſim.* Quòd ſi Clyſter fuerit retentus infundatur cyathus urinæ juxta *Gabelcov. cent. 1. curat. annot. 67.* Quemadmodum & ſubvenire poſſunt ſuppoſitoria, qualia in Apoplexia deſcribit *Sennertus l. 1. medic. pract. part. 2. c. 33.* E. g. ℞. *Spec. hier. logad. vel hieræ colocynth.* ʒj. *Sem. carui, rutæ, caſtor. ſal. gemmæ ana.* ℈j. *C. ſ. q. mell. cocti fiat ſuppoſitorium.* Sic enim ſcribit *Paræus lib. 25. oper. chirurg. c. 23. In capitis ſoporoſis affectibus ſuppoſitorio acriore utimur, ut excitetur ſopita vis inteſtinorum.* Cum quo conſentiunt *Heurnius & Fuchſius*, ut ſc. catarrhopi fiant vapores, qui caput invadunt.

Vt autem pergamus, ex fonte chirurgico poſſunt & adhi- 16
beri cucurbitulæ venæſectionis vicariæ, cum vel ſine ſcarificatione, prout opus erit. Revellunt enim & hæ à capite inſigni efficacia, neque vires multum dejiciunt: Hoc remedium in apoplexia *Fracaſtorius* nutibus ſuis indicaſſe fertur, ſed non intellectus periit, ut ſcribit *Riverius prax. medic. libr. 1. c. 2. de affectibus ſoporoſis.* Poſſunt autem applicari vertici, occipiti, lateribus colli ponè aures, propè venas, alii addunt humeris, brachiis, ſcapulis, lumbis & femori, quod tamen alii culpant, extrahere nimirũ fluxilem ſolùm ſanguinem, & reddere materiam in capite minꝰ ſolubilem, quemadmodum & partibꝰ dorſi declivibꝰ ſcarificatas adhibere prohibet cum *Sennerto D. Hœferus*, ne ſc. reſpiratio intercipiatur contractis per eaſdem muſculis. Sed nota, ſi adhibere velis revulſionis gratia applica locis remotioribus, ſi derivationis propioribus, quò ſc. aliàs natura ſua deponere ſolet. Nonnunquam etiam ſartagine vel ferro ignito opus cauterio ſc. vel in occipite vel cervice, ut dolor & naturam moveat, & materiam ad ſe trahat, quali derivatione cum felici ſucceſſu uſus eſt *Maſſarias*, quali ratione & veſicatoriis locus. Veſicatorium tale habet *D. Rolfinck.* ℞. *Pulv. cantharid.* ℥j. *Euphorb.* ℈j. *Piper.* gran. x. *Sem. ammeos* ʒß. *fermenti acerrimi q. ſ. ad incorporationem, fiat maſſa.* Habemus & emplaſtrum veſicatorium in pharmacopoliis noſtris paratum. Sed de cantharidibus nota, in naturis delicatioribus, quibus nervoſum

& membranoſum genus debile & tenerrimi ſenſus, quandoque mictionem ſanguinis cruentam, cum ſtranguria per uſum earundem excitari. Cujus leges duplex exemplũ in *D. Hœfero.* Fermentum acerrimum, ſinapi, pyrethrum, acetum quoq; conſultius hîc ommittere poſſumus, locumque vel pannis ſiccis vel ſpiritu vini fricare donec rubeat. Erodentium enim ſal volatile à quo medicamenti vis pendet, ab aceto figitur, ut monet *Sennertus in medicin. pract. l. 1.* Hinc *Clar. Horſtius* tali emplaſtro utitur. ℞. *Cantharid.* ℨj. *terebinth* ℥ß. *thur maſtich. myrrh. camphor. ana.* ℨj. *ol. roſac. ceræ, à qu. ſ. miſc. fiat Emplaſtrum.*

17 Cæterum in toto curationis morbi decurſu aceto cautè utendum, quia figendi vim auget. Vide *Jonſton. Idæ Medic. pract.* de *Catalepſi*, de aceto ejusque partibus, *Mercurial. Horſtium, Quercetan.*

18 Habent & hîc locum doloroſa omnia frictiones, ligaturæ, punctiones, vellicationes, inclamationes, &c. ſumma, nihil intermittendum, quod naturam irritare, excitare, ſpiritusq; mobiles & liberos reddere poſſit. Egregium atque rarum modum leges apud *Foreſtum lib. 10. obſerv. 41.* quo olim *Rondeletius* uſus, verba ſic habent: *Alium quoq; vidit Romæ Rondeletius Doctiſſimus, qui hanc affectionem ſimulabat, dicebatq; ſe corripi ecſtaſi, quoties audiebat verba illa paſſionis Chriſti:* conſũmatum eſt. *Quod cùm Rondeletius audiviſſet, voluit probare, an corriperetur, vel fingeret. Erat autem tunc apud Alexandrum quendam Hebrææ linguæ Profeſſorem, & fortè eius uxor in ſui gratiam recitabat illa duo verba, quibus auditis ſtatim Julius ille ſacerdos correptus fuit ecſtaſi, quam cùm vidiſſet Rondeletius & iuſſiſſet ſibi afferri baculum, quo illius morbum excuteret, ſtatim ad ſeſe rediit eo audito, auxit ſuſpicionem, quod cum corriperetur ab inſania, proſpiciebat undiquaque, ut caput ſuum reponeret, ne læderetur.* Simile obſervavit *Foreſtus* adhuc puer in filia mendici cujuſdam affectum hunc effingente, ut ſtipem largiorem à populo tranſeunte cum patre efflagitaret.

19 Ex fonte pharmaceutico varia in uſum venire poſſunt irritantia, diſcutientia, corroborantia. Fricentur nares acribus & mordentibus, pòſt immittatur penna oleo caſtorei vel ſuccini imbuta, inungantur balſamo rutæ, majoranæ, inſuffletur ſpiritus caſtorei, lil. convall. roriſmar. &c. vel pulvis aliquis ſternuta-

tato-

ratorius. Palatum & lingua ſi fieri poteſt theriaca fricentur, quia ob leptomeriam partium valdè celebratur, quod virtutem ſuam confeſtim diffundat. Quod ſi verò cerebrum per conſenſum fuerit affectum, cautè ſternutatoriis agendum. *Galenus* jubet thymum, pulegium, origanum coquere in aceto, & naribus admovere, quò vapor ad cerebrum ſublatus humores digerat. Verùm præſtaret loco aceti alium ſubſtituere vel admiſcere liquorem, & evaporatione iſta parcè uti, vapores enim, ſuffitus, præprimis verò fœtida quandoque plus nocent, quàm juvant, quia caput exhalationibus replent. Qua de cauſa *Cratoni in ſuis Conſil. libr. 1.* & Elyxir vitæ ſuſpectum eſt, dicit enim ex uſu ejusdem caput vaporibus repleri & viſcera indurari. Verùm cum *Cl. Hœfero* diſtinguendum puto. Eſto, extra paroxyſmum ejus uſum fore minus proficuum. Quid tum! modò in ipſo paroxyſmo experientia ejus virtutes comprobet. Negari enim nequit, aſſentiente choro practicorum celeberrimo, inſigni diſcutiendi facultate pollere laudabile illud Elyxir.

20 Quòd ſi in os ingeſta deglutirent, ut habet exemplum *Fernelii*, poſſent & diſcutientia & corroborantia varia ingeri, quæ ſc. ſubtilioris ſunt eſſentiæ, magisque ſpirituoſæ.

21 Capiti raſo adhiberi poſſunt fotus ex decoct. chamomill. aneth. lil. convall. &c. Inungi temporibus, vertici & ſuturis olea deſtillata roriſmar. lavendul. terebinth. eſſentia ſuccini, quæ, ne in halitus ſtatim abeant, poſſunt ligari juxta *Septalium in animadverſ.* oleis coctis ſc. rutaceo, laurino, caſtor. &c. Convenit, & applicare ſpirituoſa regionibus iſtis, ubi pulſus animadvertere licet, ut & frontalia è calidis & diſcutientibus, ut ſunt, aqua ſalviæ, lavendul. ſpicæ, ſtæchad. lil. 9vall. cum caſtoreo & ſpiritu roriſm. &c. Nulla tamen adhibeantur actu frigida, verùm calida, ut monet *Foreſtus l. 9. obſer. ſchol. 23.*

22 Inter omnia in hoc affectu convenientia facilè palmam obtinent ſpiritus theriacalis camphorat9, Aqua Anhaldina, oleum panis *Antonii Cortuſi*, & Caſtoreum. Quemadmodum enim in cellis fervente muſto vapores diſſipant aliquot manipuli baccarum lauri prunis impoſiti, ſic vapores in cerebro diſcutiuntur per aquas cephalicas aromatiſatas. Poſſet & jecur vitulinum calidum applicari, ob blandum calorem cerebri intemperiem ad

priſti-

priſtinam craſin reducentem, & per effluvia ſua ſpirituoſa ſpiritus animales afficientem, quo nimirum & *Crato* uſus in acutioribus capitis affectibus, qui ſimul occipiti grana juniperi contuſa admovit. Emplaſtra magnæ efficaciæ videbis apud *Horſtium & Cratonem*, quibus videlicet uſi ſunt cum feliciſſimo ſucceſſu in Apoplexia & Epilepſia. Vbique tamen ad ægrum reſpiciendum, nec promiſcuè ſingulis omnia adhibenda, quod docebit uſus practicus.

23 Si autem cerebrum per conſenſum afficiatur, videndum quomodo æger ante paroxyſmum habuerit. Nam *Hippocrates ſect. 4. aphor. 33.* inquit: *ſed & ſi qua pars ante morbum laboraverit, ibi morbi ſedes.* Et eò cura convertenda. Quemadmodum etiam extra paroxyſmum unicè eò collimandum, ut cauſa morbifica excludatur, intemperies partium corrigatur, viriumq; robur inſtauretur.

24 Materia uberior præſidiorum deſumi poterit ex reliquorũ capitis affectuum curatione, à pituita, bile, Melancholia, ſanguine oriundorum, potiſſimùm ex curatione Epilepſiæ, Apoplexiæ, Melancholiæ, affectuum ſoporoſorum, ut & ſi per conſenſum afficiatur cerebrum, ex proprio cujusque viſceris morborum loco, ubi & patebit ſimul ratio præſcribendæ diætæ. Verùm circumſpectione opus, tùm ratione ſubjecti & partis affectæ, tùm etiam ratione cauſæ. Non enim omnia omnibus conveniunt, ſed ut *Valleſius method medend. lib. 3. c. 7.* ſcribit: *Si non homo, ſed Angelus quiſpiam curandorum morborum curam gereret, qui ut naturalium omnium gnarus exactè mediretur, is certè nunquam, neque per annorum myriadas bis eidem medicamento manum admoveret, nulla neque ſpeciei, neque intenſionis, neque modi, neque occaſionis utendi mutatione facta. Variarent enim curationes, ut ipſi ægrotantium ſtatus.* Diſtinguantur igitur temperamenta, ætas, ſexus, ponderentur vires, reſpiciatur pars affecta, conſideretur humoris vergentia, qualitas, quantitas, obſervetur menſura, modus & ordo, ut habeatur remediorum ſelectus. In integrum tractatum excurrerem, ſi hæc cuncta explicarem. *Ad reciprocandam diſputationis ſerram, ſat anſæ datum. Nos manum de Tab.*

Ad meritiſs. DN. C. R.

Gordius hic morbus, calamo quem ſolvis & ore,
Arte, hunc atq; alios ſolvito mox, medica!

F. a. e. PRÆSES.